Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31284
Copyright: <a href="https://creativecommons.org/licenses/by/4.0/deed.de" target="_blank">CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"></a>  Kontakt:<a href="https://www.stiftstams.at/" target="_blank"> Stift Stams</a>   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">



Josephus dic· dix ei sua appellacione· quia prius homines non audierat· nec michi phas est dicere Vade congrega seniores israel et dices eis· quod apparuit tibi et misit te ad liberandum eum· et ingredientur tecum ad regem egipti et dices ad eos Deus hebreorum vocavit nos· Ibimus viam trium dierum in solitudinem ut ymolemus deo meo Scio tamen quod non dimittet vos· nisi per manum validam· et percuciam egiptum in mirabilibus meis· non exibitis vacui· sed postulabit ab egipciis in cellanciis viris vasa preciosa et vestes et spoliabit egiptum· Dicunt hebrei postulasse ut dono daret· sed verius est quod mutuo exquisierunt aut per preceptum domini·

Et ait moyses non credent michi· Cui dominus Quid est quod tenes in manu tua· respondit· virga Et ait· Proice eam in terram Et versa est in colubrum et expavit moyses ita ut fugeret· Dixitque ei dominus Apprehende caudam eius· et cum tenuisset versa est in virgam In hebreo enim coluber feminini generis est· et ait Hoc signum facies ut credant tibi· Et adiecit mitte manum in sinum tuum· et facta est leprosa albida instar nivis Et tamen ait Retrahe manum tuam in sinum· Retraxit et protulit· et facta est similis reliquie carni· Si nec duobus signis credent· sume aquam fluminis et funde super aridam terram et vertetur in sanguinem· Et ait moyses Obsecro domine mitte alium nam impedicioris lingue factus sum· postquam locutus es ad servum tuum· non etiam eloquens sum ab heri et nudiustercius Et dominus quis fecit os hominis quis mutum et surdum· Quis videntem aut cecum· nonne ego· Age igitur docebo te· et ero tecum· At ille· Obsecro domine mitte quem missurus es Et dominus quia turbatus ait Aaron frater tuus eloquens est· et ipse egredietur in occursum tuum gaudens Pone verba mea in ore eius et ostendam vobis quid agere debeatis Virgam sume in qua facturus es signa· Venit ergo moyses ad ietro· et ait· Revertar ad fratres meos in egiptum ut videam si vivant Cui ietro· Vade in pace Et tamen adhuc moram faciente· dixit dominus Vade in egiptum· quia mortui sunt qui querebant animam tuam· pharao scilicet et plures eius· vel pluralem pro singulari posuit· si solus pharao querebat

*De reditu moysi in egiptum et dimissione uxoris*

Tulit ergo moyses uxorem et liberos· imponensque super asinum profectus est Cumque esset in itinere in diversorio ut comederet· occurrit ei dominus id est angelus evaginato gladio et volebat occidere eum· moysen scilicet quia uxorem et filios contra voluntatem dei ducebat· essent enim impedimento· vel quia puerum ducebat qui incircumcisus erat· Alterum forte iam circumciderat moyses Non enim credendum est hystorie que dicit alterum remansisse cum ietro cum super ait liberos· Tulit ilico zephora petram acutissimam et circumcidit preputium filii sui· tetigitque pedes eius· et ait· Sponsus sanguinum tu michi es· et dimisit eum propter quod dixerat hec· Ut Augustinus ait locus iste brevitate obscurus est· Ubi enim ait Tetigit pedes eius intelligendum est sanguis· tetigitque pedes pueri· scilicet vel angeli· Unde irata ait viro Es ne michi vir sanguinum· id est an ex coniugio tuo tantum scelus teneor agere ut fundam sanguinem filii mei· et recessit ipsa ab eo vel angelus· Hebreus ita Tetigit pedes eius id est zephora moysi Indignans enim preputium iecit ad pedes moysi et ait Gener sanguinum tu michi es· id est tu gener patris mei· ideo factus es· ut esses michi· id est carnis mee in filio ad sanguinem· id est ad mortem Vel sanguis meus effusus est ad placandum angelum· qui tibi mortem minabatur· et dimisit angelus moysen quod in hebreo pro tamen hebreus habet· relaxavit eum angelus· quem prius scilicet usque ad mortem coartabat Hinc etiam volunt morem circumcidendi petrinis cultellis habuisse principium· vel a Josue in galgalis· tamen ubi nos habemus